



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod diligere Deum, est summa leve, 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

ut terram viventium possideat. Facilis res est (Domine Iesu Christe superamande) dilectio, à qua nullus, cujuscunque status, gradus aut conditionis existat, excusari potest. O miser & miserabilis peccator, quid faciam? Oculata enim fide hoc video & cognosco, quod facere deberem, & non facio. Scio (clementissime Domine) me nullo modo aliter tibi placere posse, nisi per dilectionem. Ad illam meum animum non converto, illam vilipendo. Ad illam habendam me non dispono, sed inclinationes meas ad vitia & peccata perficio. In illis permaneo, in illis delector, in illis fere continue prostratus miserabiliter jaceo. Respicere ergo me dignare, piissime Domine Iesu Christe, animarum per amorem purgator, oculo tuæ pietatis & misericordiæ. Dele iniquitatem meam maximam, & inclina cor meum pravum & perversum ad te diligendum & amandum. Non recedam à te, neque à tua benignissima voluntate: sed quicquid præcipis faciam; quicquid prohibes, evitem totis viribus, cogitatione, locutione, & opere; ut te donante, dilectionem tuam obtineam sempiternam, Amen.

C A P V T XXIII.

Quod diligere Deum est summe leve.

I. **F**RUCTUS & utilitas (Domine Iesu Christe, totius dilectionis author) quæ ex dilectione tua acquiritur, non solum est æterna gloria, de qua dictum est:

Quod

Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, qua preparasti diligentibus te. Sed etiam est utilitas magna in hac vita, quia diligens te Domine, si contingat eum deficere vel errare, dulciter corrigitur & castigatur à te, sicut dilectus filius à patre, qui de servo extraneo non curat. Vnde magnum signum amoris tui est, Domine, correctio & immissio flagelli. Sed homines desperatos & perversos quolibet ire permittis, & in præcipitium peccatorum incidere. Quia quem diligis castigas; & flagellas omnem filium quem recipis. Diligens te, Domine, pacifice conversatur: est enim in pace conscientia, & tranquillitatis jucunditate, non in simultate & odio.

2. Diligens te Domine diligenter, per te à malo præservatur. Sicut enim homo pupilam oculi sui sedulo custodit, & eam summe diligit: sic tu Domine Iesu Christe, amator bone, amicum & dilectum tuum protegis, & defendis, & custodis; ne in peccatum labatur, neve à diabolo affligatur. Scriptum est enim: *Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eas.* Custodis animas, non cutem carnis splendidam, non possessiones & terras, quia talia tibi chara non sunt. Sed custodis animas sanctorum, ne in peccatum labantur: & de manu peccatoris liberas eas, ne à dæmone affligantur. Diligens te (Domine Iesu Christe, amantium gloria) multum honoratur: quia actus diligendi, est actus tuus & Angelorum, non dæmonum.

Tu

Tu enim diligis, quia scriptum est: *Ego diligentes me diligo.* In Angelis autem est vis & actus maximi amoris, quo ad te Domine, quo ad eos, quæ sui sunt confortii, & quo ad nos. Diligunt enim adeo quod ordo supremus, ab ardore charitatis nominatur Seraphim. Diligentem te Domine fuscipis ad poenitentiam, eidem remittis offensam; & tua maxima pietate inenarrabilique benignitate, ac inæstimabili largitate, gratiam misericorditer donas & tribuis.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, semper amari plus quam dignissime, quanta miseria ego nequissimus peccator plenus sum; qui perspecta tanta utilitate tui amoris, te propter teipsum diligere debebam! Quod si pauper teipsum diligere nolebam, saltem propter meipsum & utilitatem meam te diligere debebam. Ut ex inordinate amore tandem venirem ad verum amorem tuum; qui est diligere te non ob aliud, sed propter teipsum solum. Mihi ergo digneris succurrere benignissime, & creare in me cor mundum; ut ab iis quæ tibi displicent, abhorrendo, & in ea penitus execrando, te diligam & amem, & tibi serviam, tibi obediam, præcepta tua adimpleam; ut te vere, ordinate, non ob aliud quam ob teipsum, diligam per infinita sæculorum sæcula, Amen.